

Witte S. 273 zu 1088.

aliis via panderetur posse perire. Quid plura? statim ea die a regia maiestate designatus in presulem et per legatos idoneos protinus missus ad locum Osnaburgensem maxima profecto cleri et populi est ibidem alacritate susceptus. Modicum vero ibi temporis ordinandis rebus indulgens Dominicique natalis devotissime celebratione peracta conserandus(!) Coloniam digno est comitatu profectus. Verum ibi quoque a pie memorie Annone archiepiscopo prout villicationis sue tempore optime meruerat digna susceptione honoratus anno Dominice incarnationis MLXIX. Kalend. Februarii ab eodem archiepiscopo Osnaburgensi ecclesie omni devotione ordinatur episcopus, dignis etiam in id cooperantibus Frederico videlicet venerabili viro Monasteriensi episcopo et Eylberto eque ad opus Dei viro probato Myn-densi episcopo debite benedictionis impendentibus officium et probate electionis assensum. Celebrato igitur ibidem que instabat beate Dei genitricis purificatione maximo gaudio plenaque leticia ad propriam sedem est reversus, ubi magna sollertia triennio ante Saxonicum bellum loci commissi cuncta curavit verbique Dei semina populo spargens moribus subditorum excolendis insudans Dominici agri zizania ab ini-

Vita cap. 13.

vel aliis via panderetur posse perire. Quid plura? statim eadem die a regis maiestate designatus in prae-sulem et per legatos idoneos protinus missus ad locum maxima profecto cleri et populi est ibidem alacritate susceptus. Modicum vero ibi temporis ordinandis rebus indulgens Dominicique natalis devotissime celebratione peracta consecrandus Coloniam digno est comitatu profectus. Verum ibi quoque a pia memoriae Annone archiepiscopo prout villicationis suae tempore optime meruerat digna susceptione honoratus; ab eodem vero archiepiscopo Osnaburgensi ecclesiae omni devotione episcopus ordinatur, dignis etiam in id cooperantibus Friderico videlicet venerabili viro Monasteriensi episcopo sed et Eilberto aequae ad opus Dei viro probato Mindensi episcopo benedictionis impendentibus officium et probatae electionis assensum. Celebrata igitur ibidem quae instabat beatæ Dei genitricis purificatione maximo gaudio plenaque laetitia ad propriam sedem est reversus, ubi magna sollertia triennio ante Saxonicum bellum loci sibi commissi cuncta curavit verbique Dei semina populo spargens moribus subditorum excolendis insudans Dominici agri zizania